

Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, duodecimo kal. aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dilectis filiis rectori et universitati studii opidi
Lipzensis Merzeburgensis diocesis.

B. de Callio.

A. de Florencia.

Das Basler Conzil empfiehlt der Universität die beiden Abgesandten Johannes von Rene und Thomas Rode.
Basel, 1447 Apr. 29.

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 235a.

Dilectis ecclesie filiis rectori et universitati studii Liptzensis. Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata, universalem ecclesiam representans, dilectis ecclesie filiis rectori et universitati studii Liptzensis salutem et omnipotentis dei benedictionem. Alto consilio sua divina providit clemencia, ut in religione christiana generalium studiorum universitates constitute manerent, in eis siquidem divine legis noticia tribuitur, secreta panduntur, sacre scripture hereses confutantur, fidei veritatibus defensatis. Unde inter apostolorum obitum et tempora pacis ecclesie legimus subortas hereses plurimas, tyrannis non patientibus legi codices divinos. Ut enim pro libito dominetur, hoc philosopho testante, tyranni conditio est subditos suos indoctos esse, vult autem veritatem que sue contraria sit voluntati non manifestantes, ista non patitur generalium libertas studiorum. Quapropter eorum publicis exercitiis maxima percipiunt incrementa iusticia et veritas catholice fidei, presertim quam integram inviolatamque servare student. In ipsis autem studiis exercitati quamvis pro ingenii differentia varias adinveniant opiniones, foveant, nutriant et defendant, ab errore tamen culpabili preservantur submittentes determinationes suas iudicio et diffinitioni ecclesie sancte dei generalium permaxime auctoritati conciliorum, scientes ut quod declaratur a patribus inibi congregatis, id eciam visum sit spiritui sancto, quoniam est Christus in medio congregatorum in nomine suo dirigens, illuminans et perficiens nec paciens eos quomodolibet aberrare in doctrina ad salutem animarum pertinente, quo fit ut cum velut magistra venerentur generalis, doctrinam consilii illi humiliter acquiescunt, adiuvant pro sua virtute et contra omnes adversantes defendunt. Diebus vero istis cum vehementissimo turbine generalium concuciatum auctoritas conciliorum; spes singularis fiduciaque permaxima est, ut illam tueantur generalium universitates studiorum, deprimi aut extingui nullatenus permittentes, quomodo summo omnipotentique deo gracias actum est in inclita vestra Germanie natione per plures universitates, quibus vos similiter facturos optamus et hortamur. Laudatur qui duobus acceptis talentis alia duo superlucratus est, non tamen ille qui pecuniam domini sui sub sabulo abscondit, timens domini austeritatem. Hortamur igitur vestras discretionem affectu plurimo ymitantes, ut in hac maxima qua ecclesia concutitur tempestate, devota ecclesie filia universitas vestra mater constituat se columpnam immobilem, anchoram firmam turrinque David cum propugnaculis suis pro